



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Syllabus fœminarum probarum eximiarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Nec formavit eam de parte hominis inferiori, scilicet pede; ne vir haberet eam pro ancilla: sed de media parte; ut haberet eam pro socia. Tempore gratiæ, poterat Dominus assumere carnem de viro; noluit hoc facere, sed, assumpsit de muliere. Tempore resurrectionis primò mulieri apparuit. In statu gloriæ nullus purus homo erit rex; sed pura mulier est Regina, Beatissima scilicet Maria. Hæc autem omnia movere debent mulieres ad DEI dilectionem; qui hæc contulit eis; & retrahere ab eis, quæ mala sunt. B. Humbertus f. 94.

Mulieres tribus gaudent privilegiis: quorum primum est, quod in paradiso sit condita. Secunda, quod ex ea natus Christus. Tertia, resurgens primò apparuit mulieri. Joannes Beletus rationali divini officii c. 109.

DEus per infima confundit fortia, ad supprimendam arrogantiam. Dux Sisara à muliere prostratus. Judic. 4. 21. Abimelech prostravit fœmina. Judic. 9. 53. Assyriorum acies viduâ opulentâ cæsa. Judith. 13. 9. 10.

#### Miscellanea in fœminarum laudem.

Quæres: cur Salomon Ecclæ 1. Hebraicè vocetur *Cobeleth* fœmininè, id est, *congregatrix*, vel *concionatrix*? Causam primò multi dant hanc: quòd Hebræi sæpe permutant nomen fœminarum, cum Masculino; & vicissim masculinum cum fœminina terminatione, quando rei præstantiam, & pulchritudinem denotare volunt: qualis hoc est concio Salomonis, quæ proinde vocetur *Cobilerh*; id est *concionatrix*, ob elegantiam sermonis. Solent enim Hebræi, rebus eximie pulchris tribuere genus fœmininum: quia imago, & maxima illecebra pulchritudinis, est fœmina. Concionatrix ergo est idem, quod pulcher, & eximius concionator. Solent enim fœminæ in dicendo esse disertæ, gratiosæ, elegantes, efficaces; ideoque viris persuadere, quidquid volunt. Sic Pl. 67. 12. *Dominus dabis verbum Evangelizantibus*. Hebr. *evangelizantibus*: quò significat, excellentissimos à DEO prædicatores constituendos. Et Aggæi 1. 13. *nuntius Domini de nuntiis Domini*. Hebr. est, *de nuntiantibus Domini*. Secundò, dicunt aliqui, quòd Sapientia hic sit quasi Concionatrix; ut vis, & energia concionis significetur: quasi ejus anima, & forma, sit ipsa sapientia. Cornelius hic.

*Et ait Angelus ei: nò timeas Maria*. Luc. 1. 30. Nota: duæ personæ, scilicet mulier, & Angelus, dederunt occasionem perditionis Mundo: unde congruum fuit, ut eadem personæ darent ei occasionem salutis; nè Mundus haberet minus amandi, vel honorandi, personas istas. Hugo Card. hic.

#### §. III.

#### Syllabus probarum, eximiarum fœminarum.

**S**erpens decepit me. Gen. 3. 13. Eva accusata à viro, non accusat, injuriæ patiens. Gen. 3. 12. Flagitium delegat in serpentem. S. Ambros. de instit. Virg. c. 4. nec accusata crimen retorsit; sed ipsum accusatorem suum, maluit, si posset, abolvere, quam ligare.

*Palvansh. Sacr. Tom. I.*

*Fecit & labrum aneum - de speculis mulierum.* Ex. 38. 8. Vide priscam devotionem, & ritum; quò sanctæ mulieres (præsertim cum se totas DEI obsequio dicabant) sua specula, & ornamenta; per quæ antea vanitati, & Mundo, servierunt; jam conversæ secum pariter DEO consecrârunt. Ità S. Ludgardis matrona sanctissima, præter patrimonium, totum Mundum muliebrem Ecclesiæ obtulit, ut divinus cultus inde augetur. Ità Pulcheria Arcadii filia, è patrimonio suo Virgini Deiparæ nobile templum ædificavit; in quo B. Virginis vestes cultu magnificentissimò asservari curavit; easque gemmis, monilibus, ac etiam vestibus propriis adornavit. Testis est Cedrenus. De Paula Romana scribit S. Hieronymus in ejus Epitaphio: eam, ubi primò se DEO dicasset, ornamenta sua omnia, adeoque totum mundum muliebrem, in suppellectilem sacram commutasse. Idem fecit S. Elisabetha filia Andrea Regis Hungariæ, & uxor Landgravi Thuringiæ. Cornelius hic.

*Non est bonum sumere panem filiorum &c.* Matth. 15. 26. Quam firma, & patiens, ad repulsam Chananæa. S. Chryost. hom. 15. vides, quomodo non contradicit; nec laudibus alienis indolet; nec, quia contemni videtur, molestè fert. Velloso in Judith ad Lector. Mira, sub persona mulieris Chananitidis, Ecclesiæ fides, patientia, & humilitas, prædicatur. Fides, quæ credit, sanari posse filiam suam. Patientia, quæ toties contempta in precibus perseverat. Humilitas, quæ se non canibus, sed catulis comparat. S. Hieronym. hic cap. 15.

*Ue, & nuntiate fratribus meis.* Matth. 10. Quod eò consilio factum putat S. Hieron. ut erubescerent viri, non quarere; quem jam fragilior sexus invenerat. In Prologo ad Sophoniam.

*Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem &c.* Jo. 4. 28. Cur præconium divini verbi non committitur primò Christi Discipulis diu cum ipso conversatis? quàm mulieri, quæ paulò antè erat peccatrix? Ut nullus, quàmvis abjectissimus, peccator desperet, se divinâ gratiâ ad supremum Christianismi apicem posse evehi. Hæc mulier in Evangelio fuit prima, quæ suum peccatum confiteri non erubuit: *nò habeo virum*. Et viris civitatis audenter dixit: *venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumq; feci*. Conveniens ergo erat, ut prima esset in ea dignitate. Sylveira hic q. 38.

*Ex civitate autem illa &c.* Jo. 4. 39. Origenes: Tanquam Apostolâ hac muliere utitur CHRISTUS ad eos, qui in urbe erant. Simon de Cass. Christus Samaritanam fecit Evangelistam: evangelizavit enim civibus suis Christum.

Phœben commendat Paulus. Roman. 16. 1. De famosis in pauperes largitionibus; v. 6. Mariam de labore. v. 12. Tryphænum, & Tryphosam, de virtutum cura perpetua. Felices multi.

C c c c 2

mulieres, quæ saviente Nerone, fidem, & castos mores colebant. S. Chrysof. hom. 31. in ep. ad Rom. rursus mulier coronatur; rursus confunditur viri; sed etiam honestatur. Honestatur quidem, quod tales apud nos sunt mulieres; confunditur, quod longè ab illis post terga relinquitur viri.

Nota: quod magis innocens mulier, quam unquam fuerit nobilis, Beatissima Virgo: quia orta ex progenie regali. Similiter laudabilior poenitens, quæ unquam fuerit, fuit nobilis Magdalena. Similiter omnes mulieres, quæ sunt majoris autoritatis in Ecclesia, fuerunt nobiles: ut Agnes, Catharina &c. B. Humbertus f. 95. ad mulieres nobiles.

Inter Græcos hic conversos illustrissima fuit S. Thecla, nuncupata Apostolica, & primogenita S. Pauli. Act. 14. v. 1. Ab Isidorus Pelus. ep. ad Tharsium vocatur Proto-Martyr. Cornelius in Acta hic.

## §. IV.

*Fœminæ confundunt viros.*

*Ex Veteri.*

**Ejice.** Gen. 21. 10. In familia tam feduli Abrahæ non deest Ismael indisciplinatus. At ipse, si in iis studiosa Sara desit, quæ dicat, ejice. *Durè accepit hoc Abraham.* v. 11. Adhibendum fuit spectaculum Angeli, & DEI præceptum, ut ejus domo exularet impius. *Cui dixit DEUS* ib. v. 12. Oliva t. 1. conc. 3. in testamento S. Thomæ Apost.

*Occurrit ei Dominus; & volebat occidere eum.* Ex. 4. 24. Cùm enim esset Legislator, & exemplar populi in accurata legis observatione, ipse primò eam violavit, filium incircumcisum in Egyptum ducens. Occurrit mox intrepida Sefhora. v. 25. *& tulit acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui.* S. Isidorus Pelus. l. 1. ep. 125. mulieres, cùm necessitas urget, diligentioribus, quàm viri, artibus uti; sinceri usque ad DEUM confugere, consueverunt. Arcones in l. 4. Disc. 7.

*Regina Saba - venit &c.* 3. Reg. 10. 1. Quò viarum incommodò, sumptu, & apparatu, ad Salomonem accessit Saba; ut audiret sapientiam; de qua dubitabat: ideo *venit tentare eum in enigmatibus.*

*Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum &c.* 3. Reg. 17. 9. Famelicus Elias ad mulierem mittitur; non ad aliquem principem.

*Facta est autem quadam dies, & transfugas Eliseus per Sunam - Erat ibi mulier magna.* 4. Reg. 4. 8. Magna, id est, dives, potens, ac devota; ut explicat Lyra, Carthus. Hugo &c. Cur Scriptura contra morem, non de viro, sed de muliere, facit mentionem? cùm constet ex v. 9. 14. de ipso; & divitiarum dispensatio ad virum spectet? Aulens. q. 15. respondetur, quod mulier erat melior viro; ideo fit mentio principaliter de illa. Sylveira c. 33. in Jo.

*Suspendunt super muros caput Holofernis.* Judith c. 14. 7. Cur hoc? an non satius esset, mox exire in hostes, quàm his parvi mo-

menti rebus immorari? Quid intererat, quòd caput Holofernis in muro suspenderetur? multum per omnem modum. Nam Bethulienfes milites, visò illò capite à fœmina abscisso, non poterant non incredibili pudore confundi, & excitari in certamina. Bæza t. 2. l. 10. c. 6. §. 9.

*Ex Novo.*

*Surrexit, & ministrabat eis.* Matth. 8. 15. Socrus Petri ancilla ministrat Christo. Matth. 8. 16. non Petrus. Pudori sunt multis Religiosis mulieres in divino obsequio ferventiores. Bæza citatus.

*Ecce mulier Chananea &c.* Matth. 15. 22. Cur pater puellæ non properat ad Christum? an non aptius vir à finibus egrederetur? Quia fœmineus sexus promptior ad virtutis opera. Hinc Ecclesia ex S. Augustino orat: *intercede pro devoto fœmineo sexu.* Escobar t. 3. Colloq. Chr. Obl. 6.

*Erant autem ibi mulieres multa à longè.* Matth. 27. 55. Dicit hoc Matthæus, ut mulierum harum præ viris fidem, constantiam, & pietatem in JESUM, celebret: quòd spectantibus Judæis Christi hostibus ausa fuerint Cruci ejus adstare, & compassionem suam in eum testari. Solent enim fœminæ viris esse pietiores. Cornelius hic.

*Ite dicite Discipulis ejus, & Petro, quia precedet vos in Galilaam.* Marci 16. 7. Quid necesse erat, Petro id seorsim nuntiare, quando Discipuli, ut ait Joan. 20. 19. erant congregati. Et quod ceteri audierunt, non audire Petrus non potuit, qui inter ceteros adfuit. Resp. magnam animositatem ostentat Petrus in cœna: *Et si oportuerit me simul commori tecum, non te negabo.* Marci 14. 31. Cùmque fortitudinis occasio se obtulisset, ad unius ancillæ vocem corruit. Dicite ergo Petro, dicit nunc Angelus. q. d. dicite strenuo illi, robusto illi, invicto illi; ubi suas reliquerit vires? utque à vobis dicat constantius agere: ille enim, ancillæ interrogatione fractus, ignavè timuit; vos autem armatos viros nihil veritæ, animò masculò omnes vicissis difficultates: nam discrimine quòvis spretò magistri vestri divinum Corpus pervestigatum invitis. Didacus Niss. f. 7. D. 1. Quadr. §. 3. *Ite &c.* ut erubescerent viri, non querere, quem jam fragilis sexus invenerat. S. Hieron. in Prologo ad Sophon.

*Vides hanc mulierem?* Luc. 7. 44. In domo principis Synagoga totum obsequium ejus confundit una fœmina; quæ sola præ omnibus novit JESU servire. Heu quoties, non una mulier Hebræa, Judith. 14. 16. sed mille mulieres Christianæ, faciunt confusionem in domo Ecclesiæ principum! quando cum dedecore audient: *tu aquam pedibus meis non dedisti.* S. Chrysof. l. 4. in Matth. verè magna confusio est Sacerdotum, & omnium Clericorum; quando Laici inveniuntur fideles eis, & justiores. Bæza t. 2. l. 10. c. 6. §. 9.

*Domine da mihi hanc aquam &c.* Jo. 4. 15. Quare, cùm Christus proponat suam mirabilem aquam Samaritanæ; & Nicodemo?